FORMULA ORDINATIONIS AD SACRUM MINISTERIUM, LIPSIÆ uſitata.

Et Examine D. Nicol. Selneceeri petita & [illegible] Ordinatorum [illegible] commo[illegible].

Additæ ſunt [illegible] utrúſque Epiſtolæ Synodales, Anno [illegible], & 1610. [illegible]

A

D. VINCENTIO Schmuck Superintendente

CUM PRIVILEGIO.

LIPSIÆ,
Impenſis Hæredum Thomæ Schureri
Excudebat IOHANNES Glück
M. DC. [illegible]

DE MINISTERIO,

D. Selneccerus.

Quid eſt Miniſter verbi?

Eſt Perſona legitimè vocata, autoritate divina, ad curam animarum commiſſæ ſibi Eccleſiæ, ut doceat verbum Dei, adminiſtret Sacramenta ſecundum inſtitutionem Chriſti, & gubernet Eccleſiam ratione conformi ſuæ vocationi, errores & ſcelera verbo Dei & Spiritu reprehendat, conſcientias conſoletur, & ſit typus fidelium in vita.

Quæ requiruntur in Miniſtro Eccleſiæ?

Quatuor potiſſimùm. 1. Ut legitimè ſit vocatus, Jerem. 23. v. 21. Hebr. 5. v. 4.

2. Ut rectè inſtitutus in verbo Dei, teneat & res ipſas, & formam ſanorum verborum, 2. Tim. 1. v. 13. Exemplar teneto ſanorum ſermonum in fide & charitate quæ eſt in Chriſto Jeſu. 1. Tim. 4. v. 16. Attende tibi ipſi & doctrinæ, perſiſte in illis: hoc enim faciens & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.

3. Ut ſit didacticus, aptus ad docendum, [illegible].

4. Ut ſit diligens in omnibus miniſterii [illegible]

& officiis obeundis, quæ de[illegible] verbi administratio-ne Sacramentorum, abſolutione [illegible] pœnitenti-am, ſeu annunciatione remiſsionis peccatorum, viſita-tione & conſolatione pavidarum conſcientiarum & ægrotorum, reprehenſione errorum, hæreſium, & ſcele-rum, & tandem pietate vitæ & honeſtate morum, 1. Tim. 4. v. 12. Typus eſto fidelium in doctrinâ, integrita-te morum, dilectione, ſpiritu, fide, caſtitate.

DE ORDINATIONE

Eſtne neceſſarius publicæ ordinationis ritus?

O*Rdinationis ritus ideo neceſſarius & utilis eſt, ut diſcernantur legitime vocati ab aliis, qui ſi-ne vocatione currunt, Jerem. 23. Vocatio autem publico teſtimonio Eccleſiæ confirmanda eſt, quod teſti-monium datur in ipſo ritu ordinationis.*

Quid eſt Ordinatio?

Eſt Ceremonia, quâ legitime ad miniſterium do-cendi vocati, & in examine idonei ad docendum depre-henſi, publicè Eccleſiæ ſiſtuntur & commendantur, da-to teſtimonio de legitimâ vocatione, & de profectu ac-commodato ad docendum & adminiſtrandum, adhi-bita etiam manuum impoſitione, cum precatione Ec-cleſiæ.

Sequitur ordinationis formula.

FOR-

FORMA ORDINATIONIS, QUÆ IN ECCLESIIS NOSTRIS, ſecundum normam verbi divini, & retenta eſt ſemper, & etiamnum retinetur ſanctè.

POſt habitam concionem incipit is, qui ordinationis ritum adminiſtrat, Superintendens, Paſtor, Archidiaconus vel Presbyter, ordinarie & legitimè ad id muneris deſtinatus, canere

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende, qui per diverſitatem lingvarum cunctarum gentes in unitate fidei congregâſti, Alleluja, Alleluja.

COLLECTA.

Emitte DOMINE Spiritum tuum, & creabuntur, Alleluja.

Reſpondit Chorus;

Et renovabis faciem terræ, Alleluja.

OREMUS.

Gregem tuum quæſumus, Domine Jeſu Chriſte Paſtor bone, placatus intende, & oves, quas pretioſo ſangvine in cruce redemiſti, diabolicâ non ſinas incurſione lacerari; Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivis & regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Digitized by Google

AD ORDINANDOS PRO-
cumbentes coram Altari.

Creditisne Fidem, quam univerſa Chriſtiana Eccleſia credit, videlicet, in *Deum Patrem* omnipotentem, creatorem cœli & terræ?

Reſp. Credimus.

Et in JESUM Chriſtum filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus, deſcendit ad inferna, tertia die reſurrexit à mortuis, aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus eſt judicare vivos & mortuos?

Reſp. Credimus.

Et in Spiritum Sanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, ſanctorum communionem, remiſsionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam?

Reſp. Credimus.

Damnatisne etiam, & improbatis omnes errores & hæreſes, per ſacram Scripturam & Chriſtiana probata concilia damnatas? Similiter Pontificis falſa dogmata, & abuſus, atque hodie Sacramentariorum, Anabaptiſtarum & ſimilium blaſphemias, & vultis populum vobis commendatum fideliter ab iſtis dehortari, & corruptelis contradicere?

Reſp.

Reſp. Ita.

Vultisne etiam piè & honeſtè vivere, & aliis eſſe bono exemplo?

Reſp. Volumus.

Dominus igitur noſter JESUS CHRISTUS, ſummus Paſtor & Epiſcopus animarum noſtrarum, vos in hac fide & confeſsione, & in Chriſtiano propoſito clementer confirmet & conſervet, Amen.

Nunc, quod debeat eſſe officium veſtrum, audite.

Sic D. Paulus ſcribit, 1. Tim. 3. Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, temperantem, hoſpitalem, idoneum ad docendum, non vinoſum, non mordacem, non turpis lucri cupidum, ſed moderatum, non litigioſum, non avarum: qui ſuæ domui benè præſit: qui liberos habeat obedientes cum omni honeſtate: (ſi quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiam Dei curabit?) non neophytum, ne inflatus incidat in judicium diaboli (calumniatoris.) Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis, qui foris ſunt, ut non in probrum incidat, & in laqueum diaboli. Similiter diaconos honeſtos, non bilingves, non vinoſos,

noſos, non turpe lucrum ſectantes, habentes my-ſterium fidei in conſcientiâ purâ.

Sic quoq; S. Paulus hortatur Seniores, Ephesi & Mileti, Actor. 20.

Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſangvine ſuo. Scio enim, quoniam intrabunt poſt abitum meum lupi graves, non parcentes gregi: Et ex vobis ipſis exſurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe. Propter quod vigilate, memoriâ retinentes, quod per triennium nocte & die non ceſſaverim cum lacrymis monere unumquemq; veſtrum.

BREVIS ADMONITIO.

Hic audimus, fratres in Chriſto chariſſimi, quid nobis, qui ſumus Epiſcopi, hoc eſt Paſtores, Prædicatores, & animarum Curatores, à Deo injungatur, videlicet quales nos ipſos eſſe deceat, & quid in noſtro officio nobis faciendum ſit: nimirum, ut primùm omnium ſciamus, [illegible] eſſe Miniſterium Spiritus ſancti, & [illegible] nos [illegible], & requirere à nobis, ut in eo diligenter attendamus, & [illegible] & Eccleſiæ [illegible] miniſterio [illegible] res, [illegible] paſcendam ſit Eccleſiam Dei, [illegible]

ipſe

ipſe Dominus [illegible] precio, nempe, proprio ſuo ſanguine, aſſeruit & redemit, ut eam paſcamus puro verbo Dei, & ut alacres & fideliter ſoliciti ſimus, & caveamus, ne irruant in eam lupi graves, id eſt, falſi doctores & ſectarii, qui animas à Domino, qui eas aſſeruit & redemit, abducunt, & ad ſeipſos attrahunt, & horrendum in modum ſeducunt & perdunt. Quamobrem S. Paulus nominat hanc diligentiam & ſolicitudinem præclarum opus.

Deinde, audimus, qualis debeat noſtra eſſe vita & converſatio, videlicet, ut coram hominibus ſimus irreprehenſibiles, modeſti, caſti, & honeſte vivamus & ac [illegible] noſtris bene præſimus, & hoc vitæ genere noſtrum miniſterium, & verbum Dei ornemus, & decoremus, & alios etiam bono exemplo lucri faciamus, & nobis adjungamus.

Si ergo his omnibus obedire volueritis, ipſi coram hac ſancta Eccleſia, veſtro ore & confeſſione edicite.

Reſp. Obediemus.

Hic imponatur manus. Poſt impoſitionem manuum factam [illegible] Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiæ, legitur ex Johannis cap. 10.

Dominus Noster Jesus Christus dixit ad diſcipulos ſuos: Pax vobis. Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos. Et hoc cùm dixiſſet, inſufflavit, & dicit eis: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum

remiſeritis peccata, remittuntur iis, Et quorum retinueritis, retenta ſunt.

Oremus pro vocatis hiſce Miniſtris ad verbum Dei, & pro omnibus piis Doctoribus, & pro univerſâ Chriſtianâ Eccleſiâ.

Dicatur expreſſis verbis & flexis genibus:

Pater noſter, qui es in cœlis.
Sanctificetur nomen tuum,
Adveniat regnum tuum,
Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terrâ.
Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie,
Et remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris.
Et ne nos inducas in tentationem.
Sed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum, Amen.

OREMUS ulteriùs.

Omnipotens, miſericors Deus, cœleſtis pater: Tu per os dilecti Filii tui, Domini noſtri Jeſu Chriſti, ad nos dixiſti: Meſsis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergò Dominum meſsis, ut mittat operarios in meſſem ſuam. Secundum hoc divinum mandatum tuum, totis pectoribus te oramus, ut his tuis vocatis Miniſtris, nobis quoque, & omnibus, qui ad verbum tuum vocati ſunt, Spiritum

tum

tum tuum ſanctum abundè dones, ut magno numero, tui Evangeliſtæ ſimus, fideles, & conſtantes adverſus diabolum, mundum, & carnem, ut nomen tuum ſanctificetur, regnum tuum locupletetur, voluntas tua perficiatur. Oramus etiam, ut horrendam abominationem Papæ & Mahometi, & omnium ſectarum & hæreſium, quæ nomen tuum blaſphemant, regnum tuum deſtruunt, voluntatem tuam impediunt, tandem deſtruas ipſe, & prorſus deleas. Et has ſupplices preces noſtras, quas facere nos ipſe juſſiſti & docuiſti, & promiſſionibus certificaſti, exaudias, quæſumus, & facias clementer, quemadmodum confidimus & credimus, per dilectum tuum filium, Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat in æternum, Amen.

Cum igitur lege Dei, veſtram vocationem, examine præmiſſo, & jam precatione, & manuum impoſitione, coram hac ſancta Eccleſia confirmaverimus, nunc commendamus vobis Miniſterium verbi DEI docendi, & poteſtatem clavium, peccata ligandi, & ſolvendi, & Sacramenta venerabilia ſecundum inſtitutionem Domini noſtri JESU Chriſti adminiſtrandi, diſpenſandi & perficiendi, in NOMINE DEI PATRIS, & FILII & SPIRITUS SANCTI.

Abite ergò (inquit S. Petrus) & paſcite, qui vobiſcum

biſcum eſt, gregem D e i, providentes, non coactè, ſed libenter, non propter turpe lucrum, ſed prompto animo: non ut dominantes cleris (populo) ſed facti typi gregis. Et cùm apparuerit Archipaſtor (Princeps Paſtorum) J e s u s C h r i s t u s, percipietis immarceſsibilem illam gloriæ coronam.

B e n e d i c t i o.

Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti vobis & nobis omnibus multiplicetur.

CON-

CONDITIONES EORUM, QUI AD SACROSANCTUM MINISTERIUM

[illegible] admittendi, & ritu impoſitionis manuum ſive Ordinationis inaugurandi ſunt.

I.

Capita & locos doctrinæ Chriſtianæ teneant, recitent, explicent, id eſt, Catechiſmum nôrint.

II.

Definitiones & quicquid dicunt & afferunt, teſtimoniis ſacræ Scripturæ probent, & quo ſingula loco poſita ſint, [illegible]ant.

III.

Vernaculâ ſuâ linguâ explicent, quid latinè dixerint, [illegible] & ipſi percipiant, & populo proponere poſſint ea, quæ tractant, intelligi poſſit.

IV.

De articulis controverſis, contra Pontificios, Sacramentarios, Anabaptiſtas, Antitrinitarios, & ſimiles, ſententiam veram oſtendant, & confirment teſtimoniis Scripturæ.

V.

Libros, numerum & ordinem veteris & novi Teſtamenti ſciant.

VI.

Inprimis Epiſtolam ad Romanos & Galatas ſe diligentiſſimè legiſſe oſtendant.

VII.

Teſtimonia pietatis habeant, cujus ut & doctrinæ ſanæ comprehenſæ ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis (quibus ceu ſummam & formam ſubjicimus, Confeſſionē Auguſtanam, Apologiam, Catechiſmos Lutheri, Smalcaldicos articulos, & librum Chriſtianæ Concordiæ) ſtudioſos ſectatores & confeſſores ſe eſſe velle ſanctè promittant.

Capita Epiſtolæ Synodalis, anno 1600.

1.

MOnet Synodus fideliter, ut Miniſtri Eccleſiæ ante omnia ſacrorum Bibliorum, dehinc ſcriptorum Symbolicorum lectionem ſibi commendatam eſſe ſinant, & hac ratione rerum ſacrarum cognitionem familiarem ſibi reddant: Utque Superintendentes, & horum Adjuncti, in ſpeciali Viſitatione diſquiſitionem inſtituant, quid unusquiſq; legerit aut didicerit, &c.

2.

Ut in actione Baptiſmi ſecundus articulus Apoſtolici ſymboli recitetur integrè, non mutilatè. Præterea in exhibitione conſecrati panis & calicis, in adminiſtratione cœnæ Dominicæ, uſurpetur formula præſcripta in conſtitutione Eccleſiaſticâ, anno 1580. publicatâ, videlicet: Accipe, ede, hoc eſt corpus Chriſti, quod pro te in mortem eſt traditum: Bibe hic eſt ſangvis Jeſu Chriſti, qui pro peccatis tuis effuſus eſt.

3.

Ne conviciis perſtrepant conciones, néve in taxandis peccatis ſub alicujus zeli prætextu quippiam fiat abſonum aut præpoſterum, & amarulentia verborum animi auditorum abalienentur, ſed adhibeatur debita moderatio & Chriſtiana manſvetudo, ſervatis gradibus admonitionum, ne quid agatur ex vindictæ affectu iracundiæ, aut præcipitatione judicii, ſed zelo ſobrio, &c.

4.

Ne Miniſtri Eccleſiæ, in morem & modum hominum politicorum comam demetiant, verùm, ut externo habitu paſtorali, ſic etiam comâ capitis a reliquorum hominum ordinibus ſint diſtincti, ſemper in cœtu publico, inter precationem, aut Evangelii prælectionem ex ſuggeſto, ut & in per-

In peragendis reliquis divini cultus partibus, & ad nomen Jeſu, capita denudent, nec ſe Papali quodam faſtu in talibus exemtos ſomnient.

5.

Turpe ducant frequentare tabernas cereviſiarias, ibique potitare.

6.

Placuit etiam decernere, ut viduis poſt mortem priorum conjugum non concedatur nimis præproperè animum applicare ad novas nuptias ineundas; ſed ut habitâ ratione naturæ & honeſtatis, viris quidem ſemeſtre tempus præfigatur, intra quod non niſi graviſſimis cauſis urgentibus (de quibus judicium facient Conſiſtoria) fas ſit ad ſecunda vota deſcendere; Fœminis verò ante completum viduitatis ſuæ annum non ſit integrum alias affectare nuptias.

7.

Ut Scholarum diligens habeatur ratio, quò illæ floreant, vigeantque docentium ac diſcentium ſtudia, & inter pueros delectus inſtituatur, qui ſint ad literas apti nec ne, deque his parentes maturè per Paſtores & Ludimagiſtros admoneantur, &c.

8.

Ne Scholarum Moderatores & Collaboratores, tùm in habitu, tùm moribus atq; geſtibus ſe Politicis nimium conforment, ſed per Superintendentes commonefiant decori ut in omni converſatione, tàm publicâ quàm privatâ proxime ſe accommodent ad Eccleſiaſtici ordinis ſtatum.

Ex alterâ Epiſtolâ Synodali, anno 1610.

1.

VT ſtudium pacis & concordiæ inter Paſtores & Diaconos, ac Collegas ſingulos vigeat, nec mutuis illi diſſenſio-

ſenſionibus aut ſimultatibus vel auditores offendant, vel adverſarijs religionem ſugillandi occaſionem præbeant.

2

Ut Collegæ invicem Collegarum concionibus libenter interſint, & ſuo exemplo tùm ad attentionem in audiendis concionibus, tùm ad ſtudium ac fervorē in fundendis precibus publicis, auditores incitent ac inflamment.

3.

Ne quibuſvis temerè ac citra evidentem cauſam permittant ſuggeſtum conſcendere, ac conciones habere ad populum, ſed iis tantum, qui explorati ſunt, & quando neceſſitas flagitat.

4.

Ut prædicatio pœnitentiæ graviter urgeatur, & ad ſtudium bonorum operum, tanquam fructuum fidei, auditores diligenter exuſcitentur.

5.

Operam dent, ut non modò ipſi per ſe, ſed & uxores, liberi, ac univerſa familia, pietati, humilitati ac modeſtiæ in omnibus vitæ partibus ſtudeant. cumprimis autem ab omni luxu in veſtitu abſtineant, juxta mandatum Apoſtoli, 1. Tim. 3. 1. Pet. 3.

6.

Diſciplina ſcholaſtica in vigore retineatur, & collapſa omninò revocetur.

7.

Parentes à Paſtoribus ſæpè moneantur, ut liberos ſuos [illegible] curâ ad pietatem, modeſtiam ac mores bonos [illegible], neque per turpem indulgentiam ad omne genus nequitiæ feneſtram iiſdem aperiant, &c.

8.

Inveſtituræ in oppidis aut pagis non diebus Dominicis, ſed profeſtis potius [illegible], nec in [illegible]

F I N I S.